



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Viridarivm Sanctorvm**

Ex Menæis Græcorum lectum, translatu[m] et Annotationib. similibusq[ue]  
passim, historijs Latinis, Græcis; editis, ineditis illustratum

**Rader, Matthäus**

**Avgvstae Vindelicoꝝ, 1607**

De Veste B. Virginis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43013**

mittitur. Et visenda cunctis res videbatur, hominem igne velut indumento cinctum, septem dies tormentum illud perpeffum esse, quo spectaculo magna vis hominum ad Christi cultum ab eo perducta. Inde extractus in ferreis muricib<sup>9</sup> seu tribulis voluitur, & ad indomitos religatus equos per aspera & ardua locorum raptatur. Hinc in caput à pedibus per triduum, appenso, immani de collo saxo, in trabe suspenditur. Post triduum, inciso fune, sanctus in terram præcipitatur. Rursumque in ingentem rogam toto corpore coniicitur, saxaque in iacentem exaggerantur. Sed angeli præsentis ope omni saxorum pondere eximitur, saluusque & integer consistit, vnde libertores, magnamque hominum copiam ad fidem attraxit, qui mox omnes capite puniti sunt. Postremo & ipse gladio cæsus, ad laudem & gloriam veri Dei nostri, occubuit.

e. Iulii.

## DE VESTE B. VIRGINIS.

**C**Alba & Candidus gemini patricii, germani fratres adorandi causa Hierosolymam profecti, in Palæstinam venerunt, quibus

quibusdamq; Galilææ oris peragratis, apud  
 quandam Hebræam matronam, B. Virginis  
 venerandam vestem reppererunt, quam ut  
 acquirerent, hac arte vfi sunt. Hierosoly-  
 mam peregrinati, omnia illic loca sancta  
 venerabundi adierunt, arculamque per si-  
 milem illi, in qua Dei matris multum ho-  
 noranda vestis custodiebatur, fieri cura-  
 runt. reuersique ad matronam, suam illam  
 vacuum ad speciem reliquerunt, illam ve-  
 rò, in qua sacrosanctum illud & diuinum  
 erat indumentum, sublatam secum aspor-  
 tarunt, & Constantinopolim regressi, in  
 suburbio suo, cui Blachernæ nomen, con-  
 diderunt, clam omnibus thesaurum serua-  
 re conati; cum frustra fuissent, Imperatori  
 rem aperiunt, qui allatæ vestis nuncio in-  
 credibili gaudio affectus est, dum eam ex-  
 oscularetur & complecteretur, temploque  
 in ipsis Blachernis excitato, arcam ibidem  
 reposuit, vbi & hodie sita est, quam velut  
 custodem vrbis, & omnium morborum me-  
 dicam officinam ciues experiuntur.

## ANNO TATIO.

**B**lachernæ sunt in suburbio Constantinopoli-  
 tano, dictæ quibusdam à rege quodam eum  
 locum tenente. Zonaras narrat à Pulcheria Theo-  
 dosij

Q4

dosij

dosij iunioris sorore ædificatam in Blachernis ædē  
D. Virgini, quam Iustinianus, auctore Procopio,  
instauravit. Iustinus nepos Iustiniani, teste Ce-  
dreno, duos arcus addidit. Anastasius triclinium,  
Tiberius balneum, vt Suidas tradit. Leo magnus  
in littore templum Deiparæ excitavit; in eaque  
vestem hanc B. Virginis deposuit. Cedrenus 17.  
Leonis anno id accidisse scribit. Nicephorus lib.  
15. c. 24. totam hanc de veste V. historiam exponit,  
eiusdemque c. 14. vbi de Pulcheria agit, mentio-  
nem facit.

11. Iulii.  
vide 16.  
Iulii.

## S. EUPHEMIA M.

*\*In æde il-  
lius, vide  
Euagrium  
lib. 3. c. 3.*

**I**Mperantibus religiosissimis principibus  
Marciano & Pulcheria, concilium\* Chal-  
cedonense sexcentorum triginta patrum  
celebratum est, in quo patres Eutychen  
& Dioscorum, & horum asseclas, qui vnam  
duntaxat in Christo naturam, vnamque vo-  
luntatem impie propugnabant damnaue-  
runt. Qui cum à sententia deduci non pos-  
sent, aliter hos aggrediuntur. Fidei Catho-  
licæ & orthodoxæ professionem editam  
vno in volumine describunt; monentque  
hæreticos, vt ipsi vicissim suum dogma &  
sententiam altero libro complectantur.  
Dein vtrumque tomum signis clausum, re-  
seratâ tumbâ sanctissimæ Euphemie Mar-  
tyris, super pectus reponunt abeuntque.  
Post